



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Amor sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

us refugiebat. Mirus lusus imaginantis & imaginis. Quoties ridenti corripit alter, & lacrimanti falsò, veras miscuit lacrimas? Denique cum impatientia amoris excluderet eibum, potumque, assiduas inter potendi, raptique voti querelas & planctus, lenta consumptus tabe adolescens, in florem purpureum, vel (ut vult Ovidius) croceum, candidis distinctum folijs, narcissum scilicet, Narcissus mutatus est.

Ethica.

I. (a) Φιλαντία seu amorem sui habes in hac imagine expressum, de quo Horatius lib. 1. Od. 18.

----- Subsequitur cæcus amor sui,

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem

Nimirum existimatio & admiratio sui ipsius caput altius, quam par est, attollit, sibi que supra verum indulget, & animos inflat, præsertim si adulantium & laudantium flabellum accedat. De qua re Seneca epist. 59. Citò, ait, nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos: agnoscimus, nec tumus modica laudatione contenti. Quidquid adulatio in nos sine pudore congescit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpe mentiri. Et Plutarchus, amor, inquit, proprius facit, ut quisque sui ipsius assentator cum sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult sibi accedere testem, ad stipulatorumque. De his Plautus in Mil. Glor.

Mihi ego video: mihi ego sapio: mihi ego credo plurimum.

Laborant hoc maximè vitio adolescentes, feminaeque, quæ sibi formosiores cæteris videntur, unde Poëta:

Fastus inest pulehris, sequiturque superbia formam.

Quare se ipsum Narcissus ita deperierit, in causa fuit venusta facies ex undis reddita. Describit eam Ovidius:

Ac stupet ipse sibi, vultuque immotus eodem

Hæret, ut è Paro formatum marmore signum.

Spectat humi positus, geminum sua lumina sidus,

Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,

Impubesque genas, & eburnea colla, decusque

Oris, & in niveo mixtum candore ruborem.

II. (b) Sed notanda Poëta verba, quibus vanitatem formæ, & admirationis sui ipsius perstringit:

M 2

Spem

(a) Amor sui. (b) Vanitas formæ.